

P. OVIDI NASONIS  
MEDICAMINA FACIEI FEMINEAE.

Discite, quae faciem commendet cura, puellae,  
Et quo sit vobis causa tuenda modo!  
Cultus humum sterilem Cerealia pendere iussit  
Munera: mordaces interiere rubi;  
5 Cultus et in pomis sucos emendat acerbos,  
Fissaque adoptivas accipit arbor opes.  
Culta placent: auro sublimia tecta linuntur;  
Nigra sub inposito marmore terra latet;  
Vellera saepe eadem Tyrio medicantur aeno;  
10 Sectile deliciis India praebet ebur.  
Forsitan antiquae Tatio sub rege Sabinae  
Maluerint quam se rura paterna coli,  
Cum matrona, premens altum rubicunda sedile,  
Adsiduo durum pollice nebat opus,  
15 Ipsaque claudebat, quos filia paverat, agnos,  
Ipsa dabat virgas caesaque ligna foco;  
At vestrae matres teneras peperere puellas:  
Vultis inaurata corpora veste tegi,  
Vultis odoratos positu variare capillos,  
20 Conspicuum gemmis vultis habere manum;  
Induitis collo lapides Oriente petitos,  
Et quantos onus est aure tulisse duos.  
Nec tamen indignum: sit vobis cura placendi,  
Cum comptos habeant saecula nostra viros;  
25 Feminea vestri potiuntur lege mariti,  
Et vix ad cultus nupta, quod addat, habet.....  
Quo se cuique parent et quo venentur amores,  
Refert: munditia crimina nulla merent.  
Rure latent finguntque comas: licet arduus illas  
30 Celet Athos, cultas altus habebit Athos!